



1. Drejeri f. Chr. / diff. de Conver-
sione Iudeorum, Regiomonti
1691.
2. Ecclestein / Gottlieb f. summi Drei
Magnatissimum, ex Gener. III.
v. 22. contra Iudeos, Wittenbergae
1685.
3. Edzardi f. Sebast. / diff. ex Philo-
logia Hebraica, Wittenbergae
1695.

28

DE
G O G
ET
M A G O G,

Disputabunt
PRÆSES

**BRANDANUS HENRICUS
GEBHARDI,**

SS. Theol. Doct. ejusdemque, & LL. OO. P.P.
&

RESPONDENS
**AUGUSTINUS MELCHIOR ALBERTI,
STRALSUNDENSIS,**

D. Sept. 1695.

GRYPHISWALDIÆ,
NUNC RECUSA, 1719.

(3.)



§ 1.

Duplices est de Gogo & Magogo vaticinium, alterum Ezechiel habet cap. XXXIX. & XXXIX, alterum vero Johannes, cap. XX. §. 9. De utroque diversissima sunt interpretatum sententiae, plerisque literalem sensum, aliis Mysticum sectandum esse existimantibus. Ipsi vocis origo obscura est, aliis natales ejus in Hebreæ, aliis in alia lingua querentibus. Radix sine dubio גּוֹגּ est, cuius vestigia adhuc extant in nomine גּוֹגּectum. In Arabica traditionis, in Æthiopica seductionis, in Syriaæ araneæ significatum obtinet, vid. Dn. Pfeiff. Lub. Vex. Cent. IV. l. 62. Parum firma sunt argumenta, quæ ab Etymologia ducuntur: proinde ea jam necesse negligimus, interspersuri tamen in ipso discursus progressu. Certius de Gogo & Magogo differendi fundamentum est prædicatorum, quæ Gogo tribuuntur consideratio, eorumque cum historia collatio. Talia enim sunt subjecta, qualia permittuntur esse à prædicatis.

§. 2.

Aut ergo literalis Gog est aut mysticus. Si literalis, aut

A 2

jam

jam impletum est vaticinium, aut adhuc implebitur. Si jam impletum, aut ante Christi tempora impletum est, aut post ea. Si ante tempora, quarendum est ejus implementum intra aetatem Ezechielis & Messiae adventum primum. Ezechiel enim de futuro hoste vaticinatur. Præcipius qui Politiam Judaicam intra hæc tempora invasit, fuit Antiochus Epiphanes, quem etiam Hugo Grotius intelligi putat. Sed utrum non plane negemus Antiochi in Ecclesiam irruptiones intelligi: tamen si literaliter interpretanda Prophetia est, manifestum est, prædicata quæ huic hosti tribuuntur, in Epiphanem minime quadrare. Hostis, qui hic describitur, Scythes est. Patet hoc cum ex nomine: dicitur enim Princeps Rus Mesech & Thubhal, cap. XXXVIII. 3. qui Scythis originem dedere: tum ex armatura: datur ipsis arcus, cap. XXXIX. 3. quem gerere solenne Scythis fuit, inde & sagittarii, Scyren dicti esse existimantur. vid. Micræl. Synt. Polie. L. 1. Sccl: 3. qv. 24. Dicuntur equis rebi, cap. XXXVIII. 15. at Scytharum est etiam tempore pacis, equis vectari, ut probat Bochartus ex Hippocrate loco mox citando. Dicuntur loricati, v. 4. qui cultus etiam fuit Scytharum teste Bocharto in Phaleg. Lib. II. 13. Iam vero Antiochus non fuit Scythes.

§. 3.

Hostis, qui hic describitur, irruptiones jam ab antiquis Prophetis fuere denunciatae, cap. XXXVIII. 17. Per hos intellegi non possunt Daniel, Zacharias, ut putat Tremellius: multo minus ipse Ezechiel, ut Raschi & Kimchi censent, longe enim his antiquiores fuisse indicant manifesta textus verba: *Nonne tu es de quo locutus sum temporibus priscis per servos meos Prophetas Israëlis, qui prophetarunt in diebus illis, & addiditur רָבָת annos, quasi dicat (ut exponunt Kimchi & Abarbenel)*jam ante multos annos. Intelliguntur ergo Prophetæ, qui longe ante Ezechielem vixerunt. Jam vero Daniel si non posterior Ezechiele, certe σύγχρονος.

Xev ejus fuit. Zacharias integro seculo posterior. Tum Zacharias non prophetavit de Antiocho Epiphane, cap. XIV. quod prima capituli inspectio probat. Si autem Ezechiele fuerit antiquior, apparet solum Epiphanem intelligi haud posse, siquidem nemo Prophetarum praeter Danielem de Antiocho speciatim vaticinatus est.

S. 4

Ceterum quinam illi sint prisci Prophetæ, qui de Gogo vaticinati, non est quod solliciti inquiramus. Omnes certe de victoria Messiae vaticinati sunt, ab omnibus hostibus Israëlis reportanda, inter quos etiam Gog citra omne dubium referendus est. Judæi speciatim vaticinium de bello Gogitico tribuerunt Eldado & Medado, de quibus Num. XI. 26 fit mentio, teste Kimchio in Ezech. XXXVIII. 17. אָלֹר רֹא וּבְדִבָּרֵי מַתְנָכָאִים בְּמַחְנָה עַל עֲסָקִי גּוֹג וּמְנוּג חֶזֶק מַתְנָכָאִים שֶׁן הַתְּרָה הָא וְנוּ אֶלְךָ תְּקִרְוָה שְׁנִינָה Antiqui verba Num. XI. 26. Eldad & Medad vaticinati sunt de exercitu, ita explicatuere, vaticinati sunt de negotio Gogi & Magogi, de quo scriptum Ezech. XXXVIII. 17. nonne tu ille, Sc. ne lege hic Schenim, anni, sed Schenaim, duo. Innuuntur enim duo bi Propheta, qui de una re vaticinati. Quamquam autem non desint, qui concedant intercidisse quædam Prophetarum scripta, quibus circa detrimentum Ecclesia carere potuit, in primis cum nihil aliud quam historicas narrationes continerent: tamen cum certum sit Prophetas generatim de bello Gogitico prophetasse, supervacaneum esse arbitramur incertæ traditionis ope Prophetæ verba illustrare velle.

S. 5.

Gog ultimis temporibus Israëlem infestare dicitur, cap. XXXIX. 7. 8. 6. Sive ultima mundi, sive ultima politia Judæ-

et tempora intelligas, Antiochus innui non potest, neque enim
Antiochus extremam ruinam attulit regno Iudeorum, sed Ro-
mani. Porro Gogitico exercitu vallis ad Mare Orientale in
Sepulchrum datur, cap. XXXIX. u. cadavera eorum volucribus
consumenda exponuntur. v. 4. 17. 18. 19. 20. arma Gogitarum in
usum quotidiani ignis per septem annos cremantur, vers. 9. 10.
cadavera per septem menses conqueruntur, ne aer putredine in-
ficiatur, vers. 12. 13. 14. 15. haec vero in Epiphanis ipsiusque suc-
cessorum exercitus haud quadrant. Cum Gog clade conjungi-
tur captivitatis Iudeorum reducio, cap. XXXIX. 25 Iudei habita-
bunt securi nemine deterrente, vers. 26. Spiritus S. in Israe-
lem effunditur, vers. 29. Haec vero in adventum Messiae primum
cadunt. Conf. Luc. II. 68. ad 75. at inter Messiae & Antiochii
tempora plus quam seculum interstat. Tum post Antiochum
plures alii hostes Iudeos infestarunt, donec tandem tota Po-
litia corrueret.

S. 6.

Historia abunde testatur nullum fuisse Israëlitarum hostem
intra Ezechieli & Messiae tempora, in quem omnia haec praedi-
cata in sensu literali convenient. Post hanc Messiae tempora Jo-
hannes de Gogo vaticinatur, Apoc. XX. 7. 8. 9. Aut hoc va-
ticinium impletum est, literaliter, aut adhuc implebitur. Si
impletum est, aut de Getis erit explicandum sive Gothis, aut
de Saracenis, aut de Turcis. Getas & Messagetas quosdam in-
tellexisse testatur Augustinus de Civ. D. lib. XX. cap. II. qui-
dam suspicuntur Getas & Messagetas, propter literas borum-
nominum primas. Sed hos vel una haec ratio refellit, quod
Gogitae antequam Ecclesiam adorirentur fuerint Christiani post-
ea vero seduksi, Apoc. XX. 7. at Getae priusquam Christianos
affligerent fuerint idololatæ: postea vero Christiani facti, te-
ste Hieronymo ad Latam: Getarum rutilus & flavus exerci-
tus Ecclesiarum circumfert tentoria, & ideo forsitan contra nos
aqua pugnat acie quia pari religioni confidit.

S. 7.

§. 7.

Tam Saraceni, quam Turcæ olim terram sanctam tenuere, de quibus impletum esse vaticinum censet cum Craterto B. Müllerus in *Judaismo Lib. II. cap. 22. pag. 926. & seqq.* Et hi quidem adhuc infestant Imperium Romanum. At neutri commode hic per Gogitas intelligi possunt. Saraceni non sunt Scythæ, quales sunt Gogitæ, nec ipsorum excidium exceptit extrellum judicium. Turcæ vero præter originem nihil habent cum Gogo commune. Gogus seduceruntur, prius ergo erat conversus. At Turcæ antequam Mahumedinum suscipierunt fuere Ethnici. Gog & Magog sunt in 4 terra angulis. At Turcæ in Oriente habitant respectu nostri, respectu terræ sanctæ in Septentrione. Gog & Magog Ecclesiæ copantur evertere. Turcæ non pertunt Ecclesiæ, sed imperium. Gog & Magog armis Spirituilibus, quæ Ecclesiæ decent, reprimuntur. Turcæ à Christianis per arma exteriores summoventur. Gog & Magog νυκτῶς Sanctorum exercitum. Turcæ non ab omni parte, sed tantum ab una Christianos adoruntur. Gogo & Magogo Sanctorum exercitus opponitur. At turcis Imperatoris Romani, in quo plerique milites Anti-Christo Romano nomine dedere. Quod si quis Ezechielis vaticinium de Turcis velit literaliter exponere, non minimas ille experietur difficultates, de quibus vid. B. Danhauerus in *Anti-Christosophia Sect. II. Art. 7.*

§. 8.

Si literaliter omnia velis interpretari, unum tantum præsum intelligas necesse est, quo Sanctorum exercitus in angustias coactus per miraculum è Gogi potestate liberabitur *vers. 8. 9.* in sequente statim die extremo. Hoc quidem sensu adhuc implendum esset vaticinum. Proinde ante diem novissimum nihil certi de hoc hoste possit definiri, quia ante complementum pleraque vaticinia sunt obscura & incerta.

§. 9.



§. 9.

Judæi adhuc implendum esse Ezechielis vaticinium afferunt, ut habeant quod suæ pertinaciæ prætexant: rogati quoniam hostes per Gogitas intelligent, alii Christianos intelligi, respondent, alii Ismaëlitas s. Turcas. Christianos intelligi putat Josephus Gorionides teste Abarbenele in cap. Ezech. XXXII.
26. Joseph Gorionides scribit in historia templi secundi, quosdam ex Japheti posteritate confidisse in Gallia ad Sequanam, quosdam in Britannia ad Ligerim: Posteros Tubhal esse Pisanos, posteros Thiras esse Ecclesiæ: posteros Askenas esse Germanos: reliquam turbam esse Romanos, qui habitant in valle Campanie ad Tibur: posteros Tharsis habitare in Toscana & extendi ad flumen Tyberim: posteriorum Javan regionem notam esse, ut & posteriorum Javan regionem notam esse, ut & posteriorum Togarma, qui in decem familias divisit. Hec omnia, inquit Abarbenel, eo spectant, ut probet posteros Japheti habitare in Europa, Mesech autem & Tubhal esse gentes Christianas. Credibile quoque est Gogum & Magogum imo omnes Christianos originem suam debere Mesecho & Tubbali.

§. 10.

Abarbenel Ismaëlitas intelligit sive Turcas, quos putat auxilio venturos esse Ægyptiis in recuperanda Hierosolyma. Bellum hoc describit ad Obadiæ vers. ii. & prolixius in cap. Jer. XXX. Moderni Judæi adhuc expectant vaticinii Ezechieliani impletionem. Sed quam infirmo fundamento ntitur tam incerta spes! Nondum literaliter impletum est Prophetæ vaticinium, ergo adhuc implendum. Imo vero si adhuc implendum est literaliter, oportet Judæos prius remigrare in terram avitam, cap. XXXVIII. 8. rupto gentium quo tenentur jugo, in patria secure habitare, vers. 8. ii. 14. exercendis negotiationibus ditescere, vers. 12. ut habeant quod diripient Gogite vers. 13. iram DEI denique in se peccatis lacessere vers. 23. 24. Jam vero si Judæi iterum patriam suam recuperant, ter-

tia



tia ejus possessio ipsis contingere, quem tamen Rabbi Iose
ses eis denegat in Seder Olam, allegante Raym. Martini in Pug.
Fid. p. H. Ep. 14. § 6. וְרֹשֶׁת־רָאשֶׁנֶּה וְשַׁנִּית־וְשַׁנִּית לְהַטֵּה שְׁלֹשִׁית אַיִן וְשַׁלְּחָנָה Prima & secunda con-
tigit eis terra possilio, tertia non continget illis. Et vero si
cum quibusdam nostratum ponamus nondum esse impletae
hanc prophetiam, si literaliter implenda est, omnino Iudeis
prius in patriam suam remeandum est. Quis autem sane men-
tis hoc assereret? Quid si per montes Israëlis intelligi velis
Ecclesiæ Christianæ, jam abis à literali sensu ad mysticum.
Si autem Israëlem mysticum admittis, quare non & hostem
mysticum? Si hostem mysticum, quæ necessitas te cogit va-
ticinium de Turca exponere?

§. II.

Enim vero memorat Propheta Gogum novissimis tem-
poribus venturum. Quidam mundi, quidam Politæ Judaicæ
extrema tempora intelligunt. Ac hæc quidem intelligi con-
textus probat. Cum his enim novissimis temporibus conjun-
gitur captivitatis reductio spiritualis, cap. XXXIX. 25. quæ im-
minente Solyma excidio per Christum & Apostolos facta est,
Job. XI. 25. Rom. XI. 26. conjungitur Spiritus S. donatio, Ezech.
XXXIX. 29. quæ facta est, post ascensionem Christi, Joël II.
28. Conf. Act. II. 16. 17. 18. 19. 20. 21. conjungitur perpetuus
de peccatis admissis dolor, Ezech. XXXIX. 26. qui versus in-
primis ponderandus est, v. 25. reducam captivitatem, &c. Zea-
labo propter nomen mecum, v. 26. & portabunt conuinciam &
omnes prævaricationes suæ, quibus prævaricati sunt in me,
cum jam sedebunt in terra sua secure nemine deterrente. Hæc
Raschi ita exponit: בְּחַשְׁבֵי לְהַטֵּה וְלְשַׁנִּית אֲגָמְלָה כְּרוּתָם אֵז וְשָׂאוּ כְּלָמְתָם וְבוֹשָׁן מְלֹהָרִים פְּנֵם:
Cum benefecero & non rependero ipsis secundum peccata, tum
portabunt conuinciam suam, & pra pudore oculos attollere
verebuntur. Chaldaeus ita transfert: וְקַבְלוּן יְהָנָג אֶת כְּנֻעָתָהֶן

וְיָחַד כָּל שִׁקְרוֹן רַשְׁקָרוֹ בְּמִתְרוֹן *portabunt ignominiam suam & omnia mendacia sua, que mentiri sunt adversus Verbum meum.* Rabbi David Kimchi ita: **ושניא בפיה:** וְזֶה וְזֶה יְלֵמְדוּ שְׁחוּתָה רַהֲבָה בְּגָלוֹת: *gerent semper in ore contumeliam suam, que ipsis contingit in captivitate, ejusque semper memores erunt.* Manifestum est innui perpetuam poenitentiam & assiduum carnis mortificationem, quae omnibus conversis incumbit. Quem autem statum mortificatio & poenitentia comitatur, is non est status absoluta beatitudinis, in quo omnis dolor cessat, *Apos. XXI. 4.* Proinde nec per ultima tempora intelligi potest finis mundi, utpote quem sequitur immediate consummata beatitudo.

§. 12.

§. 13.

Apparet ex iis, quae dicta sunt vaticinium Ezechielis sal-
va ad-

va adhuc Politia Judaica impleri debuisse. Cum autem non sit impletum literaliter, manifestum est impletum esse mystice. Si mystice, aut parabolica est oratio, aut typica. Parabolica non est, quia manifesto respicit historiam vere gestam. Dicitur enim ad Gogum וּשׁוֹבֵבָתְךָ & reducam te cap. XXXVIII. 2. ergo jam prius vere Israëlitas infestaverat. Quanquam enī Kimchi putet, vocem illam habere hic significatum frangendi, Raschi ῥאשַׁלְדִּי quod Germani - Judæi efferrunt verbiūdē / Chaldaeus, Abarbenel, Ben Melech excitandi & pellicendi: tamen textui convenientius esse videtur significationem ejus simplicem retinere, quae est reducere, reverti facere, in qua etiam adhibetur, cap. XXXVIII. 8, XXXIX. 27. Si ergo typica est oratio respicit historiam aliquam ante Ezech, tempora vere gestam, ex qua desumptæ sint phrases & ad rem spiritualem applicatae. Nec vero insolens Scripturæ est per quandam hysterologiam ipsum typum in Antitypo plenius exhibere, qui prius confuse tantum propositus erat, quod unam arque alteram circumstantiam, sic Apoc. XVIII. 11. 12. 13. 14. plures commemorantur merces, qui in civitate Anti-Christi Romani Babylonis antiqua Antitypo distractabantur & Simoniam Ecclesiam Romanæ mysticæ insinuant quarum tamen Prophetæ, cum de excidio Babylonis agunt, non faciunt specialem mentionem, cum tamen ex quibusdam circumstantiis appareat, tales meces in antiqua Babylone quam maxime esse distractas.

S. 14.

Quænam sit illa historia, & an una pluresve sint, paucis inquiremus. Abarbenel ad Assyrios refert, ita scribens ad vers. 17. cap. XXXVIII. הִיּוּ גּוֹג וּמָגוֹג מֶלֶכְתָּה מֶלֶךְ : אֲשֶׁר וְחַם גָּלוּ רָאוּבָנִי הַנְּדוּ וּחֹצֵי שְׁבֵט הַמְנַשֵּׁה : Gog & Magog fuere ex regnis Assyriacis quedam, quæ in captiuitatem abduxerunt Rubenitas, Gaditas & dimidiām sīrpim Manassis. Idem a se dissidens cap. XXXII. Ezech. socios putat esse Nebucadnezaris. Sed dubium est an Assyrii aut Babylonici

Ionici Scythas sub ditione habuerint. Hostes fuisse Iraëlitæ
litarum asserimus, sed Assyrus contradistinctos, ut patet ex Ezech.
XXXII. 22. 26. Seorsim eos Iraëlitæ infestasse, indicio est Prin-
cipis singularitas, exercitus ex variis gentibus collecti numero-
bus. Missa aliorum mente, quid nobis videatur exponemus.

§. 15.

Enimvero non obscure indicat Propheta horum Gogita-
rum irruptionem sua tempora præcessisse. Cum enīta cap.
XXXII. recenset eos, qui Iraëlem terroruerant & toti mundo
metum incusserant, refert in eorum quoque numerum Mesech
& Tubhal vers. 26. Ibi Mesech & Tubhal & omnis multitudo e-
jus in circuitibus ejus, sepulchra illius: omnes ii circumcisissi,
interfecti gladio, quia dederunt formidinem suam in terra vi-
uentium. Scytha intelligi præter alias circumstantias ipsa no-
minis ratio probat, quæ mores Scytharum non obscure depin-
git. Mos Scytharum fuit sub mandris & tuguriis adeoque
sub meritis testis degere. Latet hoc in nomine Gog, quod in-
dolem habet vocis גּוֹג tectum, item Arabici גּוֹג extendit, expan-
dit. Huc pertinet quoque vox Meschech & Tubhal, quarum
illa ex גּוֹג traxit, hæc ab הַתְּבָל translatis, ad ionuendum
Scytharum morem, quibus in curribus vivere solenne est. Ju-
stinus lib. II. 2. Uxores liberosq; secum in plaustris vebunt, qui-
bus coriis imbrium hyemisq; causa seculis pro domibus utuntur.
Unde etiam אַמְּגֹבִים, אַמְּגֹבִתִּים, אַמְּגֹבִים ab antiquis
dicti. Censet Abarbenel eos à transmigratione ab una regio-
ne in aliam nomen accepisse, זָאוּלִי שָׁעֵן כִּי נְקָרְנָה
הָעַם הַחֲנוּן מִשְׁךְ לְפִי שְׁנָמֶד וַיְצַא פָּרָעָה
לְוַאֲתָר מְשֻׁכְנָה לֹא לו בְּעָרְבָּס וְתוּבָת שְׁחוֹת
Forte properea vocatur
populus hic Meschech, quod tractus est, & egressus è loco suo
in regiones alienas in occidente: Tubhal enim istud à move-
ndo & transferendo. Sed quia hæc ratio ita generalis est, ut
p opter eam plures alii populi possent Meschech & Tubhal
nuncupari, merito præferimus priorem.

§. 16.

§. 16.

Hos Scythes, cum omni mundo terribiles essent, etiam Syriam, & in ea Terram sanctam, quæ terra viventiam dicitur, tempore Cyaxaris invasisse testatur Eusebius: *Scythæ Palestinam percurserunt, & Berbers occuparunt, quam de suo nomine vocarunt Scythopolin.* Ita locum huic adducit Bochartus in Phœn. leg. Lib. III. cap. 13. Irrupcio autem hæc facta est regnante in Persia Cyaxare, in Judæa Josia. Testatur etiam Herodotus, Scythes sere 28. annis Asiam præde babuisse, tandem vero infidis Cyaxaris & Halysatis esse captos, citanic Calvisio in opere Chronolog. p. 26. 27. Iustinus autor est Scythes imperium Asiae ter quævisce, & tercia expeditione confecta in servile bellum incidisse. Ab hac immanitate prædandi & cædendi Scythes nomen accepisse conjicit Abarbenel in cap. XXXVIII. n. Ezech. אין סוף אצלו שראומת חוויא גוג אֶרְץ המונָג הַיּוֹת סחלה עזומה בגורויה טמליח אופה רבת עלי בלא שכורין ואלי שלבו נקרוב מנוג טרשון והגבועות תמגננה גוג נסנו בלא יושבי הארץ ספנotta: Non dubito quin natio Gog terra Magog in principio fuerit potens, & omnibus suis vicinis formidabilis, ac propterea fortasse nomen Magog accepit ex Mug dissoluens est. Verum utue non negemus Scytharum immanitatem ingentem & olim fuisse & adhuc esse, de qua vide Heidmanni manud. ad Geogr. pers. p. 14. §. 97. 98. 99. tamen ex Mug, propterea Magog deduci haud potest, cum mem in Magog, nequaquam radicalis sit litera. Quamquam allusionem ad eam radicem fieri posse largiamur, eo quod integri metu corum disfluxerint.

§. 17.

Tametsi itaque in Scriptura Vet. Testamenti non existet Iesus, ubi hæc Scythurum in terram sanctam irruption. & accepta in ea clades plene describatur, tamen cum eventus doceat, ea, quæ Ezech. de Gogitis vaticinatur, non literaliter esse impletæ necessarie est ad typum respici, qui pleniū in anti-typo describitur.

tur. Forte a Propheta quodam & hæc historia fuit descripta; sed ut complutes alios libros historicos temporum injuria abolevit, Quenst. part. i. f. 190, ita idem fatum etiam huic accidisse probabiliter afferitur. Aut si nunquam hæc historia literis fuit consignata, quid eam describi tantopere opus erat? loquitur Ezech. de re quæ adhuc in recenti erat memoria. Etenim inter Assyriorum & Ægyptiorum irruptiones eam contigisse non obscure colligitur, & Ezech. XXXII, collatio vers. 18, 22, & 26. Loquitur ad populum, cuius pars clæditali σύγχρονος, qui quæ in Iudaë sibabant, typos esse futurorum non ignorabant, unde & hanc historiam cum eodem modo iterum gerendam esse, audiret tanto facilius poterat ad spiritualia applicare.

§. 18.

Credibile ergo est hoc Scythas postquam Palæstinam depredati sunt, ad urbem Bethsan suas copias contraxisse, quæ postea ab ipsis nomen Scytopoleos fuerit sortita: ibi autem à Judæis fusos arma sua hostibus cremanda, cadavera volucribus depascenda reliquisse. Nolim tamen afferere, quod omnia quæ in hac Gogitarum clade eventura dicuntur, exactissime in hos Scythus convenient, cum manifestum sit in Anti-typo omnia exaggerari illustriusque & magnificentius exhiberi. Vid. Ef. LIV. n. 12. Joël. III. 18, 19. Zach. II. 4, 5. Apoc. XXI. 9. imprimis Ezech. XL. & scqq. capita. Et cum sèpe etiam in Anti-typo respici soleat ad diversos typos, non incommodè dicetur, quod simul respiciatur ad historiam Sanheribi, cuius fusa multitudo sua cadavera partim humanda Israëlitis, partim volucribus depascenda reliquerat. Item ad eversionem Sodomorum, cum imber sulphureus Gogitis immittendus dicitur XXXVIII. 22. item ad historiam Midianitarum, cum alternis cædibus se obtruncaturi esse dicantur, 21. conf. Jud. VII. 22.

§. 19.

Postquam autem hic typus est constitutus, superest, ut mysti-

mystice interpretemur vaticinium. Certe non aliam quam mysticam interpretationem pati potest prædicatorum ratio. Idem enim Gogitæ dicuntur ferro deleri c. XXXIIX. 21. peste, grandine, igne, sulphureo, p. 22. idem volucribus in escam dari c. XXXIIX. 4. 17. 18. 19. 20. idem sepeliri p. n. 12. 13. 14. 15. 16. Quæ prædicata, si literaliter explicare velis, de eodem subiecto non possunt enunciari. Nec desunt, qui mystice exponunt. Augustinus per Gogum intelligit universam Civitatem Satanae de Civ. D. I. X. c. II. Hieronymus de Hæretarchis exponit, quem Phil. Nicolai sequitur.

§. 20.

Nos, cum inter Ezechieliis tempora & Messiae adventum primum invasionis hujus Scythicæ Anti-typum quæri debere, non dubitemus, facile eum inventire poterimus. Ac primo cum natura Anti-typi sit, spiritualem esse, spirituales hostes intelligi putamus à Satanae civitate in populum DEI delegatos. Hanc utut Ecclesia Israëlitica perpetuam passa fuerit adversariam, tam ab ea non semper fuit oppressa. Postquam enim soluta captivitate Babylonica instauratus esset DEI cultus, damnata idolatria crassa, per aliquod tempus eluctata è tenebris veritas palmam obtinuit, Satan Ecclesiam tenebris iterum involvere haud valuit. Zach. II. 2. 7. at postea invalecente iterum impietate & superstitione, paulatim eam iterum triumpharecepit Satanae civitas, inendantibus populum DEI tam hæreticis, quam violentis persecutoribus. Inter hos primas tenet Antiochus, inter illos Pharisei. Atque hos speciatim per Gogum intelligi putamus. Uterque spiritualem finem habuere, sanctæ Ecclesiæ vestationem. Ille crassam idolatriam, bi subtilem Judæis imponebañt. Uterque βδέλυγος ἐρημώσεως erexere, Antiochus, uti prædictum à Daniele cap. XI. 31. Pharisei ut cap. IX. 27. conf. Marth. XXIV. 15. atque hæc abominatio usque ad Christum & Apostolos duravit. Est autem abominatio, hæresis sive cultus & dogma execrabilis, quo nomen DEI contumelia afficitur,

ritur, & Evangelii doctrina obscuratur. Abominatur enim Deus
virum dolosum Psalm. V. 7. & pseudo-Evangelium afferenti D.
Apostolus anathema imprecatur, Gal. I. 8. quæ sunt verba Phi-
lippi Nicolai. part. II. cap. III. de regno Christi. Uterque etiam
finem suum obtinuere, & Antiochus quidem, multos per vim,
alios per præmia ac blanditiæ ad idolatriam sollicitando: Pha-
risæi vero obscuranda fide in Christum & è contrario operum
merita excolendo. Utrisque per Christum & Apostoloris via a-
perta ad veram DEI cognitionem revertendi,

§. 21.

Certe quia Gogitarum clades in Christi tempora cadit, &
populo DEI libertatem affert, ut liquet Ezech. XXXIX. 25. 29.
non Politicus sed Spiritualis hostis intelligi potest. Tantum e-
xim abest, ut Judæi tempore Christi nati in libertatem Politici-
cam fuerint asserti, ut potius excidium reipublicæ sua pertina-
cia sibi propius attraxerint, Matth. XXIII. 37. 38. XXI. 38. 39. 40.
41. Ps. LXIX. 27. Ad. II. 20. Qui ante captivitatem Babylonie-
cam Israëlem infestarunt, præcipui fuere Assur, Babel, Edom,
Ammon, Moab, Philistæi, &c. inter quos & Gogum referimus,
qui cum ex Satanæ intentione Ecclesiæ Israëliticæ ruinam mo-
lirentur, omnes spirituales hostes propterea ipsorum nominibus
vocare conseruet est Scripturæ. Hinc Christus Edom confi-
cere dicitur, Esa. LXIII. Moabum XXVI. 9. 10. 11. 12. Assurem.
Zach. X. 10. Philistæos Joël. IV. 4. Ægyptios vers. 19. id est quos-
vis Ecclesiæ hostes, qui tanquam instrumenta Satanæ veritatem
revelatam corrumperent nituntur. Hi sunt illi hostes, de quibus
antiqui Prophetæ vaticinati Ezech. XXXVIII. 17. conf. Luc. I. 7.
ad 75. Et cum Edom, Babel, Gog cœteris gentibus durius Ju-
dæos effixerint, hinc specialioris quoque Antichristi imaginem
gerunt, Esa. XXXIV. 6. Ezech. XXXIII. 39. Apoc. XVIII. XIX. II.
XX. 8.

§. 22.

§. 22.

Specialis ille Antichristus, quem primus Christus adven-
tus opprescit, respicit ac includit specialem illum Antichristum,
quem secundus Christi adventus opprimet. Nititur hæc af-
fertio conveto illo Prophetarum stylo, cum, ut B. Chyträus
in XX. cap. Apoc. scribit: de tribus restitutionis Israëlis generi-
bus, una corporali alteris duabus Spiritualibus, quarum illa in
adventum Christi primum, hec in secundum cadit: sive de resi-
tutione Israëlis per Christum Spirituali in his terris inchoata, &
in nova & caelesti Hierosolyma post resurrectionem consummandas
simul & conjunctim loquuntur. Conf. Onomasticon Chyträi
in nomine Gog. Idem ibidem scribit: Ut populus Israël Ecclesie
Christianæ typus & pars fuit, ita hostes populi Israël typus fuerunt
hostium Ecclesie omnium temporum. In eandem fere sententiam
loquitur Philippus Nicolai part. I. cap. VI. de regno Christi:
Non ignoro Ecclesiam Christi & ejus hostes in veteri Israëlitarum
populo & circumfusis istorum hostibus olim præfiguratos esse. Imo
sanctos Prophetas constat sepe de utrisque loqui, ut cum de Israe-
litis & hostibus suorum temporum verba faciunt, simul refficiant
ad tempora futura & ad regni Christi secuturos eventus. Refer
huc quoque D. Joh. Pappi testimonium, qui in comment. ad loc.
Ezech. ita scribit: Quemadmodum initia Ecclesie N. Testamenti
maximam babuerunt similitudinem cum populi Judaici principio,
ita eandem ferme sortem suffinet Ecclesia sub mundi finem, quam
populus Judaicus paulo ante exhibitionem Messie fuerat expertus.

§. 23.

Si ergo per Gogitas intelliguntur Epiphanes & Pharisei,
qui ante adventum Christi primum Ecclesiam evertebant, facile
apparet per eosdem simul & conjunctim intelligi Anti-Chri-
stum Rom. qui ante adventum Christi secundum Ecclesiam tur-
bat. Nam Antiochum Papæ Roman, ipsissimam imaginem el-
se, exira dubium est Dan. XI. consideranti, & cum 2. Thess. II.
conferenti. Sic Phariseos exactam Ecclesiam Anti-Christi Rom.

C

figu-

figuram gessisse prolixè probat Hötingerus *Thef. Phil. I. l. e. I.*
Scđt. V. Ipse etiam Apocalypses Autor hoc non obscure innuit,
dum Bestia & Pseudo-Propheta esse clás, Gogitarum supplicio
subjicit, conf. *Ezech. XXXIX. 17. 18. 19. 20.* cum *Apoc. XIX. 17. 18.*
21. unde inferre licet: Quorum cadavera volucribus pascenda
objicivuntur, illi sunt Gogitæ; Atqui Bestialium cadavera, vo-
lucribus in escam offeruntur, Ergo Bestiales sunt Gogitæ. Sunt
autem Bestiales Anti-Christi Rom. assecclæ. Majorem Ezechiel
habet; Minorem Johannes.

S. 24.

Pontificis plerique intelligunt Anti-Christum, quem ad-
huc venturum esse opinantur, nescientes fere veri Anti-Christi
esse exercitum. Dn. D. Pfeifferus in *Ezech. XXXIX*, scribit: me-
lius forsitan hoc referetur verus Anti-Christus, Romanus animarum.
archiprædoy, archi-prædonis Politici in debellandis sanctis fidis A-
chates, quo tendit b. Chytraus in *Apoc. XX.* Johannes Dölingi-
us, Bergenensis olim in Rugia Präpositus, prolixè probat per Go-
gum intelligi Papam Romanum in Libro de Anti-Christo *I. II. c.*
n. ad 6. & I. III. c. 43. §. 4. Confer. Danhauerum in Anti-Chri-
stosoph. *Scđt. 2. art. 1.* Atque hinc etiam commode applicari
posset derivatio Gogi Äthiopica a Dn. Pfeiff. loc. cit. allata. Ex
¶ inique egit, unde Gigvi seductor. Veri enim Anti-Christi
τραπόσια εἰς ἐπάρσεις φύοδες, καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδι-
άλας, 2. *Thef. II. 9. 10.* Enimvero excellens & καὶ ὁ ζωχὴν ita
dictus Anti-Christus hic innuitur, enjus est totam Ecclesiam,
quanta in se est, vastatum & eversum ire, oppresa veritate, ob-
truncatisque veritatis confessib⁹s. Gog & Magog in angustias a-
git totum sanctorum exercitum, Hierosolymam superiorem *Apoc.*
XX. 9. Atqui hoc facit Anti-Christus Rom., qui universalem
in Ecclesiam potestatem sibi arrogat, qui ut in Italia, Hispania,
Gallia, Polonia, Hungaria, Bohemia, Belgio magna que Germania
parte purum DEI cultum vi & fraude impedit, ita in omni
mundo cum impedit posse desiderat.

S. 25.

E contrario Turca Christianis ethi Politica servitute pressis libertatem tamen spirituale largitur. Non a veritate videtur fama ab ludere, qua ferunt, si numero hominum certandum fuerit, tribus, (nonnulli triginta audent dicere) Christianis in Turcia vix unum opponi posse Musulmannum seu Alcomnitam, scribit Nicraelius Syntagm. Eccl. 1. 3. Sect. 2. qu. 4. Cum itaque Anti-Christi sit in Templo DEI sedere, 2. Thess. II. 4. & in sua sibi politice subjecta Ecclesia potissimum documenta crudelitatis & seductionis dare, annon Turca magis occuparet Anti-Christi titulum, si suo imperio additos Christianos oppugnaret, quam si alienos? Et si tuos Christianos dixerat Turca, non tamen Ecclesiam oppimeret, siquidem non ille religionem Christianorum turbat, sed opes eorum & terras affectat. Nec vero Ecclesiam DEI, qua in feliqua Europæ parte est, valstare potest, quia Imperium Rom., quod vera Ecclesiæ hospitium dat, sibi subjecere non potest, urpote ad finem mundi duratum. Dan. II. 44.45. cap. VII. 18. 27. conf. Georg. Hornii orbem Politicum, cap. II. Sect. 6. Prius ergo Imperatorem & Principes Christianos Musulmannos faciat oportet, quem Ecclesiam Christi corrumpat. Et, si Turca ipsum imperium sub jugum suum traheret, tamen Ecclesiæ non facaret injuriam, cum è re sua paret esse, cuiuslibet religionis liberum permettere exercitium, teste Hornio Orb. Polit. cap. II. Sect. VII. Etsi itaque non negemus Turcam Anti-Christum recte dici, cum propterea quod Christum in carne venisse negat 1. Job. II. 22. cap. IV. 3. tum quod multos ex Christi civitate præmis & dignitatibus ad sacra Mahumedis amplectenda perpellit, tamen non est primarius & per excellentiam ita dictus Anti-Christus, qui totam Ecclesiam in angustias conicit, conculcata veritate & imposito per vim peregrino cultu: id quod Anti-Christo Rom. optime convenit. Lub. tom. 8. Jenerf. Ich halte den Mahumeht nicht vor den Endchrist/ er macht zu grob / und hat einen kennlichen schwarzen Knuffel. Aber der Pabst bey uns ist der rechte Endchrist/ der hat den

hohen / subtilen / schönen / glässenden Teufel / der sitzt inwendig in der Christenheit / etc,

S. 26.

Si conjectura locus est, non incongrue cum Hebræo Gog, conferti posse videtur Græcum & Latinum GIGAS, quod hominem notat magnum, non tam mole & vastitate corporis, quam robuste & viribus, immanem, truculentum, impium in DEUM & homines, qualis apud Virgilium fuit.

Contemptor Divum Mezentius.

In malam partem vocem accipi indubium est, unde non tam corporis molem, quæ per se est innocens, quam merum perveritatem notare videtur Budæus putat dici παρά τὸ εἰν γῆς εἶναι Dn. Bezman, de Orig. Lingv. Lat. à γίγανται & γῆ deducit, quasi γηγενῆς. Idem probat ex Homeri versu:

Γηγενέσιν ἀνδρῶν μητέρων ἐγγαγόντων.

Huc quoque tendit Matthiæ Martini mens, qui vocem derivat ex οὐλὴ gleba, & οὐλὴ elatus fuit. Vid. ejus fundamenta Græca Lingvæ. Sed hæc derivatio generalior esse videtur, quam ut peculiare quoddam genus hominum denominet, quos Gigantes dicimus, omnes enim sumus terræ filii, quoad corruptam nativitatem. Si malitiam pertinaciter contumaciam respici dicas, commodior erit derivatio: ita enim terra filii sunt, qui media salutis repudiant. At talis repudiatio etiam sine Ecclesiæ oppressione fieri potest. Tales autem ab antiquis per Gigantes intellectos essi, qui DEUM & Ecclesiam insigni injuria afficeret, ex Gigantomachia patet. Gigantes quid aliud fuissent credendum est, quam hominum quandam impiam gentem Deos negantem, & ideo exstinxerunt Deos pellere de cœlesti sede poluisse. Horum pedes in Draconum volumina desinebant; quod significat, nihil eos rebus, nihil superum cogitasse totius vitae eorum gressu ac processu in inferna mergente. Macrobi. I. Saturn. cap. XX. Quid si dicamus hunc violentæ oppressionis significatum adhuc latere in desperita radice?

S. 27.

§. 27.

Quos Græci Gigantes, eos Hebræi נְפָلִים dicunt. **Gigantes** VI. Magis molem corporis, quam immanitatem morum respici, neque ex voce, neque ex textu ullo indicio patet. Dicuntur enim נְפָלִים quasi נְמַתְנְפָלִים, qui violenter in alios errunt: & Micerælius testatur Sint. Ecl. l. t. quæst. 31. esse, qui certis argumentis consciunt, Gigantes ante diluvium non vastitate corporis, sed enormi crudelitatis ac impiorum animi pravitatem & crudelitatem fuisse conspicuos. Non mala est Junii & Piscatoris opinio, apostatas innui existimantium: quamquam illa sententia naturam vocis non exhaustat. Sunt ergo Nephilim, qui abnegata veritate persecutores sunt vera Ecclesia. Tales ante diluvium: tales ante adventum Christi primum fuere: tales sunt & porro erunt ante adventum Christi ad judicium, omnes in eo occupati, ut veritatem à DEO revelatam conculcent, Santosque crudeliter opprimant.

§. 28.

Plus fortasse lucis assertioni nostra ferneremur, si proximam collationem institueremus Anti-Christi Romani cum Gigantibus antediluvianis, cum Gogitis Ezechielianis, item cum Armilio seu potius ἐγενολάω quem monstrorum admodum nobis exhibet judaica antiquitas. Sed brevitatis jam ab initio propositæ memores, id negotii in aliam occasionem differemus. Unum tantum hac vice adjecturi, quod & jam supra tetigimus, quod inter supplicia Gogitarum & Anti-Christianorum Apocalypticorum non obscura appareat harmonia. Dicit Propheta cap. XXXIX. 2. וְשָׁאֹרֶין֙ quam vocem ita exponit Pater R. D. Kimchi in b. l. אֲשָׁפֹטֵר בְּשָׁשָׁה שְׂפָתִים כְּשָׁאָמֵר וּנְשָׁפֵט אֶתְנוּ בְּרֹתוֹ כְּרֻתָּה וְגַשְׁתָּה שָׁוֹטֵף וְאַכְנֵי אַלְגּוֹבָשׁ: Judicabo te sex suppliciis, uti dicitur cap. XXXVIII. 22. judicabo ipsum peste, sanguine, imbre inundante, lapidibus grandinâ, igne, sulphure. Quamquam autem non insiciemur melius nobis placere sententiam Lud. de Dieu, qui vocem ad Aethiopicam radicem transfert in sensu circumagendi,

C 3

quæma

quem etiam experimunt LXX. dum vocem reddunt per *κατάξεις*
vid. animadv. in V. T. tamen rem ipsam negare non possumus, cum evidens sit plagatum Gogi & Anti-Christi convenientia. Gog Exchielianus punitur peste, cap. XXXIX. 22. Anti-Christus Apocalypticus ulcere sævo & maligno cap. XVI. 21. i. e. fecido & incurabili, cujusmodi sunt bubones, anthraces, carbunculi pestilenciales, qui paucis horis venenum transfundunt in cor, hominesque enecant, vel in furorem agunt, ut Pareus explicat. Ille sanguine v. 22. Et hic sanguine v. 4 s. 6. 7. Ille igne v. 22. Hic *καύματος* v. 8. 9. Ille umbra inundante v. 22. Hic copioso phylarum imbre. Ille lapidibus grandinis, igne sulphure 22. Hic grandine centenaria molis v. 21. cui admixta fulgata ac tonitrua v. 18. Hæc plagarum convenientia non parum iterum nos commovet, ut credamus Gogum esse Anti-Christum Romanum, quem Christus cum suam presentiam nobis visibilem exhibebit, ad judicium universale veniens, prorsus delectus, 2. Thess. 2. 8.

S. 29.

Ne reliqua paginae pars inanis relinquatur, brevem e.
XXXVIII. & XXXIX. Ezech. paraphrasin subjicimus.

Cap. 38. Promisi vobis, o Judei, redditum in Patriam, solutio captivitate Babylonica. Nunc que fortuna Vos in ea maneat, porro accipite. Meministis adhuc quem crudeliter erram vestram depredati fuerint Scytha, omnis Septentrionis copias subnixi. Non minor spiritualium hostium multitudo vos inundabit, postremque maxime temporibus, cum Messie adventus erit in proximo, quæ verum cultum plane posternent, Ecclesiastique, quia vix conuerterat, ad incitas redigent.

v. 10. 13. Allicet illos securitas vestra, cum negligenter illa spirituali ad abigendos hostes piis commendata, (Eph. VI. 10. ad 17.) otio indulgebitis. Hinc summa occasione vos invaderet Anti-Christianus exercitus, doctrinam corruptet, Idolatriam imponet, fidem morumque sanctitatem vastabit, omniaque ita depon-

depopulabitur ut periret prorsus Ecclesia videatur, applaudens
se simul vicinitate, qua mire gaudet vos à Deo obstrabi.

Ceterum etiam in hoc periculo servabo Ecclesiam meam, v. 14. 16.
neque quenquam deseram nisi semet ipsum temere a me avellat.
Videbitis enim vos, quicunque veri Israëlis eritis reliquie, quo-
modo tempore Messia conjecturus sim vos prædones, qui postbac,
ut dixi, in vestrum catum se insinuabunt innumerabili manu
vosque cum vi tumolo ad falso cultum latecent. Imo ad
omnes gentes vindictæ bujus nuncium feretur, que ad me vel
convertentur, vel converse in fide roborabuntur.

Jam dudum hanc cladem prædixi per Prophetas meos, qui uti v. 17. 18.
de Christo vaticinabantur, ita opus erat, ut simul de Antichri-
sto perdulii ejus verba facerent. Hic Messias meus, quem judi-
cet statui orbis terrarum, ipsis aeternas penas denunciabit, o-
mnes alios cruciatu sua gravitatem superantes, in hac vita per
excidunt, inchoando, post mortem in inferno consummandos.

Quæ dixi, repeto, ut firmius animis sedeant. Non pa- Cap. 39.
tiar Ecclesiam meam plane excindi ab hoc Spirituali hoste. Sed v. 1. 7.
eam tandem omni illo Spiritualium armorum, quo Ecclesiam da-
bellabit, apparatum privatum, consumendum propinabo iis, quos
ipse antea tanquam imbelles bestiolas alto supercilio despedix.
Hinc autem & pī in fide confirmabuntur, & alie quoque gen-
tes ad meam notitiam adducentur.

Ita fieri quoque us argumenta & dogmata, quibus fidem ve. 8. 16.
oram impugnabat, non tantum plane enerventur, sed & in ve-
strum usum cedant ad roborandam veritatem. Denique ita abo-
minabilis erit bac Antichristiana impietas, ut eam perpetuo ex
Ecclesia eliminatam velitis, operamque detis sedulo, ne quis pe-
siferi dogmatis factus remaneat, constitutis in eum finem fide-
libus Episcopis, qui mature opprimant, si qua heresis oriatur.

Ego autem solus sum, qui hunc vobis hostem sacrificabo. v. 17. 24.
Vos vestris viribus minus adhuc poseritis ad ejus ruinam con-
ferre, quam imbellia animalcula ad mactandos tauros in Basan
saginatos. Interim in vestrum usum superabitur, ut & vos in
fide

fide confirmemint, gentesque plures ad salutarem mei agnitionem perveniant, quae ex hac mea aconomia & justitiam & misericordiam meam satis discerent.

Superato hoc hoste plures hinc inde exultantes iudicet, qui
v. 25. 29. Antichristi hujus partes antea tuebantur, ad Ecclesiam redibunt
Evangelicis Apostolorum concionibus vocati, agnitisque serio peccatis
me postbac in quotidiana contritione ac vera fide per spiritus S. gratiam tanquam summum bonum colent & repertur.

S. 30.

Hæc postea ad Antichristi Romani ruinam non difficulter applicabuntur, siquidem verum, quod supra ex Chytræo adductum, Israëliticam Ecclesiam speculum quoddam esse Christianæ. Imprimis cum idem sit Antichristi genius in omnibus Ecclesiæ persecutoribus, qui quotiescumque Ecclesia in securitatem delapsa modo in hoc modo in illo hoste &c postremo tandem in Papa-R. se prodidit,



00 A 6321




3

Sl.

Fl. 82

102



B.I.G.



28

DE
G O G
ET
M A G O G,
Disputabunt
PRÆSES
BRANDANUS HENRICUS
GEBHARDI,
SS. Theol. Doct. ejusdemque, & LL. OO. P.P.
&
RESPONDENS
AUGUSTINUS MELCHIOR ALBERTI,
STRALSUNDENSIS,
D. Sept. 1695.
GRYPHISWALDIAE,
NUNC RECUSA, 1719. (3.)